


Ibn Duraid

De 6201
4°



De 6201
40

JOANNIS HENRICI PAREAU
C O M M E N T A T I O
D E I N D O L E
N O B I L I S S I M I P OËM A T I S A R A B I C I ,
K A S I D A - A L - M A K S O U R A ,
Q U O D
I B N D O R E I D U M
H A B E T A U C T O R E M .



МАЛЫШКОВИЧИ АННА
ОГЛАВЛЕНИЕ
СЛОВАРЬ
СЛОВАРЬ ГЛАГОЛОВИЧЕВСКИХ
АНДРЕЯ - АЛ-ХАДИДИ
600



28

**C O M M E N T A T I O
D E I N D O L E
N O B I L I S S I M I P OËM A T I S A R A B I C I ,
K A S Í D A - A L - M A K S O U R A ,
Q U O D
I B N D O R E I D U M
H A B E T A U C T O R E M .**

Inter innumeros poëtas, quos protulit Arabia, impenso poëseos amore studioque ab antiquissimis inde temporibus nobilitata, insignem locum obtinet Ibn Doreidus. Hic enim cum aliis excelluit ingenii dotibus, tum singulari poëtice facultatis praestantia, ac tantam edidit carminum multitudinem, ut, qui in suo de viris illustribus opere amplissime vitam ejus conscripserit, Ibn Chalikânus, ejus carmina multo plura esse dicat, quam ut a se enumerarentur, immo ne petiora quidem a se recenserri posse.

Ex



Ex his carminibus nullum est, quod magis Arabibus in honore ac deliciis fuerit, quam illud, quod *Kasida-Al-Maksoura* dici solet. *Kasida*, قصيدة, est nomen generale poëmatum Arabicorum, quae quodammodo cum Graecorum idylliis comparari queant (1). *Al-Maksoura*, المقصورة, quasi abbreviatum, decurtatum, peculiarem ipsius poëmatis speciem significat, cum illud in singulorum versuum fine voces complures exhibeat, metri ac rhythmique caussa decurratas. Hoc igitur poëma tantopere placuit Arabibus, ut peregrinatores sibi id comparare gestirent, et per omnes terrae partes secum transferre (2), immo ut non modo permulti exsisterent, qui in eo interpretando suam operam collocarent, sed vero etiam haud pauci poëtae id sibi ut optimum exemplum deinceps proponerent imitandum (3). Quocirca bene de litteris Arabicis meruisse censendus est Everardus Scheidius, qui primus illud typis Arabicis vulgaverit, ac postea Latina versione brevibusque scholiis illustraverit: et, quod neminem fere nostratum litteratorum fugiat, magnus noster et exquisita laude poëtica inclutus Bilderdykius tanto Poëmati amore capiebatur, ut Belgicis illud versibus expresserit. Nullum nempe carmen aptius existimabat, quod bonam de Orientalium poësi excitaret opinionem: et quantumvis vereretur, ne de ipsa poëseos Arabicae vi permultum in sua versione decederet, hoc tamen sibi habebat persuasum, quan-

(1) Vid. Jonesii commentarii de poësi Asiatica, Cap. 3.

(2) Vid. quae attulit Reiskius in annotationibus historicis ad Abulfeda annales Moslemicos. T. II. p. 755.

(3) Resert hoc Ibn Chalikānus in vita Ibn Doreidi.

tulumcumque inde remansisset, hoc satis superque testaturum esse de genuina Carminis excellentia (¹).

De nobilissimi hujus poëmatis indole, toto habitu, peculiari ratione, partiumque diversarum, quas continet, nexo nemo, quod sciam, data opera disseruit: neque opinor euidem, eum, cui facultas suppeteret omnes consulendi commentatores Arabicos, hac de re illud repertum esse, quod sibi ab omni parte satisfaceret, quippe qui in ejusmodi disquisitionibus uberioribus versari non soleant. — Primus Carminis editor Scheidius mox solum dedit *textrum Arabicum*, et in praefatione non nisi obiter aliquid de argumento attigit. Hac editione usus summus Schroederus noster, in privatis lectionibus, versionem et eruditissimas annotaciones in calatum dictavit: e quibus plurima quidem peti possunt, ad interiorem linguae Arabicae cognitionem et poëticae dictionis intelligentiam eximie composita, sed parum, quod ad ipsam attinet universi carminis rationem. Qui novam ejus curavit editionem, Aggaeus Haitsma, cum excerptis scholiis Arabicis, versionem Latinam dedit admodum obscuram et prorsus barbarem, quae a nemine intelligatur, observationes inmiscellaneas ingenii judicilique acumine penitus fere vacuas, de Poëmatis indole nihil. Quae postea ab ipso Scheidio prodiit confecta versio Latina cum brevibus scholiis, haec Grammaticae interpretationis laudes haud exigua habet, Poëtiae vero perpaucas, sed adjectam Auctoris vitam, Latine ex Ibn Chalikāno redditam. Denique, etsi de Ibn Doreido, deque poësi Orientali universe quaedam praefatus

est

(¹) In praefatione ad secundam editionem, p. 10.

est Bilderdykius ad poëticam suam versionem, haec tamen minime ita comparata sunt, ut veram Carminis indolem lectoris oculis subjiciant (1). Quid igitur? An ea fortasse semet ipsa facile exhibet? Abest profecto quam plurimum! Quicumque in poësi Arabica quodammodo versati sunt, probe sciunt, laudatoria et longiora Arabum poëmata speciem quamdam prae se ferre labyrinthi, ubi perquam difficulter, nec sine errandi periculo, per varias et obscuras ambages procedas, ac filo quasi Ariadneo opus tibi sit, ut viam et tandem exitum invenias. Itaque Arabice peritissimus Reiskius leve et obscurum nostri poëmatis argumentum esse ajebat, ut operaे in eo describendo insumtae ipsum poeniret (2). Quodsi vero Arabes audimus, Carmen compositum est in laudem virorum quorumdam illustrium, ex urbe Basra, ubi ipse natus erat auctor, oriundorum, et nominatum duorum principum, quibus confecti carminis tempore praefectura Persiae erat commissa, et a quibus magnos honores magnasque

(1) Qualemcumque etiam Poëmatis descriptionem dedit A. T. Hartmann in appendice opusculi, cui titulum fecit: *Ueber die Ideale weiblicher Schönheit bei den Morgenländern*, p. 241—243. Ibi præcipuas ejus partes breviter retulit, eo, quem habent deinceps, ordine observato: sed de modo, quo singulae cohaerent, et ad Poëtae propositum conducedent, parum perceperisse videtur.

(2) Vid. Eichhornii *Repertorium für bibl. und morgenl. Litteratur*, T. III. p. 262.

opes adeptus erat Poëta (1). At Scheidius tamen, hanc Arabum ipsorum eamque gravissimam auctoritatem fere recusans, argumen- tum potius judicabat esse elegiam Arabicam, quam carmen en- comiasticon. Hoc, inquit, eruditus lector facile perspiciet, licet multa virorum illustrium nomina, in eo laudata, quoque sit deprehensurus. Hac in re in primis poëta noster cum Ovidio comparandus, quod monumentum hoc doloris sui, patria extorris, et multis pressus calamitatibus, conscripserit (2). Atque illum adeo secutus Bilderdykius, elegiae, sive flebilis carminis, titulo usus est. Verum enimvero perquam notabile est, quod idem scriptor gravissimus Ibn Chalikānus, qui Tograjum, celeberrimum etiam poëtam et aliquanto recentiorem, in suo poëmate dicit questum de suo tempore fuisse, suamque descriptisse conditionem infelicem (3), nihil hujusmodi refert de Ibn Doreidi carmine, quod utique non minorem, quam illud, habet speciem luctuosam: immo vero hoc dicit in laudem compositum fuisse duorum prin- cipum, quorum singularem benevolentiam expertus fuerat auctor, quique hanc ipsam poëticam laudationem splendidissime remune- rati sunt.

Haec singula perpendentes, operaे pretium nobis videbamur fac-

(1) Vid. Herbelotus, *Bibliotheca Orientale*, voce *Ibn Doraid*, et qui magis accurate ac definite argumentum Carminis exhibuit, Ibn Chalikānus in vita Ibn Doreidi, item Sebekeus apud Reiskium in annot. hist. ad Abulf. annal. T. II. p. 755.

(2) In praef. ad priorem editionem, p. 6.

(3) Vid. van der Sloot, praef. ad Tograjum, p. 6.

facturi, si de indole, argumento, totoque tenore inquireremus carminis, quod amplissimam poëticæ virtutis famam consecutum est. Cum vero auctor de semet ipse suisque fatis potissimum in eo loquatur, consentaneum est utique, ut in antecessum præcipua quaedam de ejus vita atque ingenio breviter notemus.

Natus est e tribu valde illustri Ibn Doreidus (¹), anno Hegirae 223., qui maximam partem anno aerae Christianae 838. respondet (²). Urbs ei natalis contigit nobilissima, Basra, vulgo Bassora, dicta, et ad Persicum sinum sita in Iraca, quae vocatur, Arabica (³). Erat ibi emprium, sive celeberrimum quoddam forum, *Merbad*, Camelorum statio (⁴), appellari solitum, quo Arabes undique confluabant, non commerciorum tantum caussa, verum etiam ut, quae sive soluta, seu ligata oratione composuerent,

(1) Nomen ejus erat *Abu Beqr Mohammed Ibn Hasan*, ابن الحسن, uti est apud Ibn Chalikānum: sed Abulfeda, annal. II. p. 379. habet *Ibn Hosein*, ابن الحسين. Cognominabatur Azdiensis, الازدي, a celeberrima tribu *Azdi*, quae, uti Herbelotus, *Biblioth. Orient.* h. v., ait, complures dedit viros illustres, ab ea cognominatos.

(2) Per errorem Bilderdykius, praef. p. 8., hunc Hegirae annum responderet dicit anno P. C. N. 845., nam, uti recte Reiskius in Latina Abulfedae versione T. II. p. 171. notavit, incepit iste annus die 20. Decembris, A. 837.

(3) De duplice Iraca, altera Arabica, altera Persica, vid. Schultensi index Geographicus in vitam Saladini, voce *Iraca* et *Basra*.

(4) مرض. Conf. Herbelotus, *Biblioth. Orient.* voce *Basrah*.

sent, ad mutuam honoris ac gloriae aemulationem recitarent. Itaque vix ulla major studiorum opportunitas viro existere poterat, qualis erat Ibn Doreidus, cui felix natura optatissimas concessisset ingenii dotes, quique et maximam haberet ad studia propensionem et mature ad ea admoveretur. Ad ejus autem studia, magno cum successu Basrae inchoata et aliquamdiu optimorum praceptorum ductu continuata, expolienda magis, amplificanda ac perficienda, haud parum utiles fuerunt institutae ab eo peregrinationes. Quo tempore enim in Iracam Arabicam gens quaedam Aethiopum expeditionem suscipiebat, cum patruo suo Al-Hosein secessit, et locum petiit, ubi secure et tranquille dilectissimis studiis vacaret. Itaque Omanam se contulit, id est, uti videtur, ad celeberrimam ac praecipuam provinciae Arabicae, ita vocatae, urbem Moskatam (1), valde frequentatam commerciis. In hac politioris humanitatis sede per annos commoratus est duodecim, quibus exactis urbem quidem repetiit natalem, sed aliquamdiu postea in oras Persicas abiit, excitatus, ut veri simile est, a duobus viris principibus, in eadem, qua ipse, urbe natis, quibus commissa erat Persiae praefectura, quique eum lubentissime comitem habebant. Ab his cum munificentissime tractaretur, et Persicae Academiae regimen acciperet, eo magis ab elegantiore Persarum cultu proficere poterat, quod horum libri eo ederentur auspice, nihilque ratum esset, nisi quod ipse suo comprobasset

cal.

(1) Hoc non improbabiliter efficiatur ex iis, quae habent Niebuhrius in descript. Arab. pag. vers. Gall. 256, 257., et Christoph. Rommel, in Abulfeda Arabiae descriptione, p. 94.

calculo. Ibi igitur cum degereret, summae in litteris fuit auctori-
tatis, magnasque sibi opes comparavit, et subinde varias, studio-
rum caussa, suscepit peregrinationes (1). Postea vero, a Persiae
praefectura remota duobus suis patronis, Bagdadum, amplissimam
artium doctrinarumque sedem et Iracae Arabicae metropolin (2),
se contulit, anno Hegirae 308, sive aetatis anno 85, ibique
ad mortem usque permansit, perquam et liberaliter et honorifice
ab Opso Chalifa Al-Moktadiro tractatus. Obiit autem anno He-
girae 321., sive aetatis 88. (3) dieribus aliis dieunt: eum non ultra
93 annos vixisse. Certe in extrema adhuc senectute pleno men-
tis vigore pollebat.

Mirum profecto non est, Ibn Doreidum, qui et ad disciplinas
felicissime colendas factus natura esset formatusque, et insigni gau-
deret studiorum opportunitate, et maximo eorumdem ardore per lon-
gissimam vitam flagraret: hunc igitur non est quod miremur ad rarum
in cultu ingenii atque eruditionis amplitudine fastigium se evexisse.
Itaque cum aliarum rerum haud vulgarem adeptus erat scientiam,
tum praesertim historiarum ita erat peritus, ut nemo reperiretur,
qui plura vasto pectore teneret; in Arabicæ vero linguae intelli-
gentiam sic incubuerat, ea quæ tantopere eminebat, ut, cum mor-
talis esse certe, non obstat illius quod post mortem illius se rebornaret.

(1) Vid. Sebekeus apud Reiskium ad Abulf. ann. T. II. p. 755.
(2) Vid. Schultensii ind. Geogr. ad vitam Saladinis, voce *Bagdadum*,
et liber (Jénischii) de fatis linguarum Orientalium, p. 42. (1)
(3) Cum Ibn Chalikano consentit Abulf. ann. T. II. p. 378., qui
Poëtam adeo dicit centum propemodum annos natum obiisse.

tius esset, homines quererentur, interisse cum eo hujus linguae scientiam: eumdem autem per diurnam suam experientiam maxime profecisse in morum sui aevi naturaeque humanae cognitione, facile percipitur. Cum vero simul laude excelleret poëtica, doctissimus poëtarum dicebatur et virorum doctorum. Quod denique ad hominis indolem attinet, ex ejus virtutibus celebratur Arabibus laudatissima liberalitas, qua ad alios juvandos tam promutus erat tamque prodigus, ut interdum ne numulum quidem sibi ipse servaret. Contra vero hoc notatur eius vitium, quod et genio nimis indulgebat universe, et vehementer erat vinosus, ut, qui maxime infinita ejus merita admirarentur, dolerent, tantum virum infami vini et musicis amore tentatum et quasi a malo genio agitatum fuisse⁽¹⁾). Videtur etiam, quo magis consenesceret, eo magis ad morositatem, ad impatientiam, ad querelas fuisse propensus, cuius vitii id praesertim erat indicium, quod saepe hoc poëtae alicujus dictum usurpabat: *Profecto me invasisset desperatio, nisi dulce esset vivere manusque sibi inferre probum hominem retuisset Deus!*

Atque haec erant, quae de Ibn Doreidi vita, ingenio, studiis, moribus et indole nostram in rem notanda censebamus. Videamus jam, quodnam probabile faciendum sit de luctuoso Carminis habitu universaque ejus ratione judicium, ac deinceps ipsum ejus argumentum perspicue enarrare tentemus.

(1) Praeter Ibn Chalikānum, quem hic maxime ducem secuti sumus, conferatur Abulfeda, annal. I. I.

Et flebilem quidem Poëmatis habitum nemo facile cum ipsa Poëtae conditione conciliet. Etsi enim diutissime protracta vita malorum non penitus expers fuisse existimanda sit, haud erat tamen profecto, quod Ibn Doreidus vehementer de summa fortunae iniquitate quereretur: immo vero habebat, quod de sua felicitate, qualis non nisi per paucis contingenter, magnopere prædicaret. Conjici quidem possit, eum, cum infesta quaedam Aethiopum gens Iracam invaderet Arabicam, haud parum detrimenti passum fuisse, eoque ipso coactum fere, ut locum natalem relinqueret. Sed nihil utique vidimus, quod ejusmodi conjecturam quodammodo confirmaret. Quocirca multo statuitur probabilius, non malorum acceptorum gravitatem, sed impensum studiorum, quibus vel solus armorum strepitus noxius esset, amorem in caussa fuisse, quod ad tempus secederet. At, inquies fortasse, quidni deinceps in Persiam idcirco migrasse censeatur, quia eo tempore nil, nisi quod ingratum, incommodum, adversum, calamitosum esset, in patrio pateretur solo? Verum enimvero ne ipse quidem, quantumvis ceteroqui lamentans, istiusmodi caussam sui discessus protulit in Carmine, sed longe aliam, ut nempe res difficillimas tentarer et juvenilis amoris frueretur deliciis: quae caussa, etsi, ut putamus equidem, ficticia, ne levissimam quidem movet intolerabilem malorum suspicionem. Immo amicos inducit deinceps, qui ei dicant, bene ipsi in patria fuisse. Quod autem hic præcipue attendendum est, Ibn Doreidus hoc carmen composuit, cum in Persia degeret: quod praesertim ex insigni eo loco patet, ubi imaginem sibi singit oblatam amicorum, quos in Arabia haberet, quique ad se visendum in Persiam advenerint. Jam vero diurniorem hanc suam commorationem extra patriam descripsit

ut

ut miserrimum, quod umquam cogitaretur, exsilium, suamque conditionem ut afflictissimam, ut horridam maximeque detestabilem, qualis aliquem ad summam desperationem perfacile adigeret. Hoc igitur qua, quaeso, ratione ad concordiam componatur cum eo, quod e probatissimae sidei auctore Ibn Chalikāno supra reculimus de splendidissima et per quam honorifica conditione, ad quam eum et rara suorum meritorum praestantia, et permagna duorum principum liberalitas evexerant continuo? In ista adeo descriptione nihil facile reperiatur, quod cum ipsa Ibn Doreidi, qualis in Persia fuit, conditione vitae conveniat. At est tamen aliquid, partim ejus valde proiectae aetati ejusque indoli, partim praecipuo Carminis proposito consentaneum. Senex erat Poëta, cum hoc carmen componeret: et vero senem se descriptis in ipso ejus initio. Est autem hoc satis notum avitum, in quo nonnumquam prolabantur senes, ut sua sorte non contenti, sed morosi ac difficiles sint, ut bonis, quae habeant, minus delectentur, ut leviora mala, quibus obnoxii sint, exaggerent iisque inhaereant perpetuo, ut mala quaedam interdum etiam sibi singant iisque graviter affligantur, ut adeo ad vehementiores querelas proni sint ac propensi: estque, uti Scipio apud Ciceronem ait (¹); plenisque senibus sic odiosa senectus, ut opus se Aetna gravius dicant sustinere. Noster autem Ibn Doreidus ab isto senectutis vicio nequaquam erat immunis: immo vero saepe, ut notavimus, hominis desperabundi dicta adhibebat. Querelis ergo seneti, eunque

(9) De senectute, Cap. 2.

poëtam, et poëtam Orientalem, induluisse, ne miremur: eoque minus miremur, cum, quo magis atris coloribus suam sortem depingeret, eo plus inde redundaret laudis in principes, quorum benevolentia in istis, scilicet, suis malis gravissimis quam maxime sublevatus fuisse. Atque hoc ipsum re vera in animo ei fuisse, cum se hominem fingeret omnium miserrimum, attentior Poëmatis contemplatio mihi certissime persuasit. Quod vero suam in peregrino solo, eamque minime infelicem, commorationem infelicissimi exsiliī imagine repraesentavit. Poëta, hoc quare fecerit, ipse in suo etiam carmine haud obscure significasse mihi videtur. Patrii nimirum soli, suorumque, quos ibi habebat, amicorum se nequaquam immemorem ostendit, ardentissimum suae gentis declarat et inconcussum amorem, quem longitud absentiae nihil imminuerit; cumque amicos inducat, qui sibi in phantasmate appareant vigilanti, de suodiscessu conquerentes, perquam probabile est, fuisse qui spectatissimo viro ingens ipsius patescerent desiderium. Quocirca neque alienum erat a carminis, quod a suis diu absens componeret, indole, neque omnino inopportunum, ut se extorrem fingeret afflictissimum, siumque exsilium pingeret ut gravissimum malum, quod sibi umquam fata intulissent.

Haec si haud improbabiliter disputata esse videbuntur, multum tamen abest, fateor, ut, quando universum carmen spectemus, ejus rationem ab omni parte explicitem. Nam et ipsa virorum laudatio, quae hoc carmine proposita esse dicitur, non nisi paucos quosdam versus continuos occupat, et haec laudatio casu fere oblata, non autem consilio facta occurrit, et denique tam multa injiciuntur ab eo, quod praecipuum esse debuerat argumentum, abhorrentia, ut non unum quoddam opus continuum et variis suis

par-

partibus cohaerens, sed quanidam quasi vestem, e diversis pret tumultuarie arreptis maleque consutis pannis confectam conspicere nobis videamus. Habeat hic, uti habet omnino, aliquam vim generalis eaque trita observatio: haud raro accidisse altioris spiritus poëtis, qualis e Graecis est Pindarus, e Latinis Horatius, ut, suae mentis impetu abrepti, a proposito aberrare ac per via vagari videantur, nec vitio igitur hoc vertendum esse Arabibus servidioris ingenii poëtis. Verumtamen, ne objectum nobis nodum secare magis, quam solvere, censemur, age, rem paulo altius repetamus.

Uti ab ultima usque hominum memoria Arabes singulari ardore in poësin ferebantur, ita etiam primis maximeque remotis temporibus eorum carmina nihil erant aliud, nisi naturales quaedam animi effusiones, ipsosque exprimebant sensus vehementiores, quos res quaedam, memorables visa, incusserant. Itaque, quo antiquiora erant carmina Arabica, eo plerumque erant breviora, suo habitu atque argumento simpliciora, artis magis vacua, minusque ad certam quamdam metri rationem comparata (1). Sed cum mature exsisterent poëtica quaedam certamina, quibus alii aliis palmam praeripere conarentur, nec solos animi sensus effundere versibus, nec generosum naturae impetum libere sequi, nec numeris indulgere lege solitus, sed ad artem qualemcumque, procedente tempore, magis magisque confugere assueverunt.

(1) Vid. Pocock. in specim. histor. Arabum, p. 160, 161., et in nova Whitii editione, p. 166.

Itaque et longiorum poëmatum quasi opificium, et metri introductum est artificium, et, quo quis singulorum versuum rhythmum sibi imponeret difficiliorem, eo sibi magis gratulandum iudicabat, et denique res quasdam, ab ipso carminis argumento alienas, ad argumentum quasi attexere, immo, quod praecipuum esset propositum, id non continuo oculis subjicere, sed mox obtegere et deinceps inexpectato proferre amabant. Interdum gloriae, poëtica virtute ambienda, caussa argumentum eligebatur penitus ficticum: et, si quid veri cantaretur, figura quaedam erant addenda, in quibus adducendis atque exornandis exquisita quaevis artis adhiberentur subsidia. Huc pertinebant potissimum periculosae expeditiones, amoris causa susceptae, quibus carmen quocumque longius, et cujuscumque esset argumenti, carere vix posse videretur. Quod si autem in ejusmodi poëmate nobilissimi equi aut praestantissimi cameli, sive ad ficticias istas expeditiones amatorias, seu alias ob caussas inducti, absfuisset descrip-
tio, gravi illud laborare defectu visum fuisset.

Atque haec ipsa consuetudo jamdudum obtinebat ante Mohammedis aetatem, et in notabili morum atque institutorum apud Orientales constantia vim perpetuae legis acceperat, quam seque-
rentur poëtae, si longius aliquod carmen, in quo suae exercen-
dæ essent vires, componerent. Communis igitur fere istius con-
suetudinis ratio est septem praeclarorum carminum veterum;
Mallakat dictorum, quae ob singularem suam praestantiam ad Templi Meccani fores suspensa erant.

Quod jam peculiariter attinet ad carmen Arabum encomiasticum,
hoc, quale deinceps secundum subtilioris quasi artis regulas con-

st*i*

stitutum est, non ad simplicem eam rationem exigere decet, quae multo vetustioribus obtinebat temporibus: sed, si quis Poëta laudes alicujus canere volebat, simulque, quid valeret, demonstrare, hunc oportebat nec puellarum, neque equi, neque cameli descriptiones omittere, et, quo plura alia Poëmati intexere posset, quo magis et artificiose et inexspectate ad ipsas laudes transire, eo melius probati poëtae partes implere judicabatur.

Ut igitur ex quodam carmine encomiastico, quod nostro hoc antiquius est, multumque habet celebritatis, pateat, quae fere ratio esset carminum ejusmodi, breviter commemorare juvat carmen Caabi Ben Zoheir, quod quin in Mohammedis laudem compositum sit, nemo umquam dubitaverit. Hic poëta satyricis suis versibus novae illum religionis doctorem sic irritaverat, ut ab eo proscriberetur. Itaque suae saluti fuga quam citissime prospexit: sed deinde satius dicens Prophetae iram placare ejusque implorare gratiam, non modo ejus, interea dum sacro cultui vacabat, doctrinam palam professus est, verum etiam Carmen ei recitavit, in ipsius laudem compositum. Incipit hoc carmine Poëta a querelis de pulcherrimae amicae suae abitu atque inconstantia, eamque cum deinceps tam procul secessisse dicat, ut ad locum, ubi jam sit, perveniri nequeat nisi praestantioris cameli feminae ope, ejusmodi camelum uberius describit. Cumque hanc pingat celerrime suos pedes motitantem, ei comparat mulierem, quae, inter varia gravissimi luctus signa, desperans sua brachia jactitat, dum aliae adstant mulieres lamentantes et prole orbatae. Ad hujus scilicet mulieris domum delatus erat nuntius de morte, filio Caabo intentata. Matrem enim suam omnino indicasse vide-

O 3

tur Poëta (1). Atque ita subito per comparationem, casu quasi oblatam, ad propositum deductus auctor, se ad amicos abiisse fingit, ut eorum peteret auxilium, sed sua frustratum exspectatione deliberasse, quid solus pro se agere deberet, itaque consilium cepisse de ipso Propheta adeundo, qui, quantumvis terribilis, a clementia tamen non alienus esset. Mox pingit se Mohammedi adstantem, vehementissimoque terrore perculsum: et deinceps opportunam ansam arripit, eum ipsiusque sodales effusis laudibus celebrandi. Atque hoc carmen Mohammedi tantopere placuit, ut nuperrimo isti adversario suo non modo condonaret illatas sibi injurias, verum etiam pallium, quo indutus esset, injiceret.

(1) Scholiastes, a Lettio in hujus carminis editione adjectus, Poëtae amicam Soadam, de cuius abitu agitur in Carminis initio, intelligi ait vs. 34., ut ad hujus adeo-puellae domum nuntius de morte Caabo intentata delatus fuisse censeatur; et C. F. G. Wahl, in suo opusculo: *Magazin für alte, besonders morgenländische und biblische Litteratur*, P. III. p. 49., ad versionem Carminis germanicam, annotavit, ipsa muliere lamentante significari Soadam. Contexta oratio postulat utique, ut pronomen affixum feminini generis vs. 34. referatur ad ipsam illam mulierem, cuius mentio proxima praecessit. Verum ea non describitur juvenis, sed provectae aetatis mulier, qualis adeo fuerit mater Poëtae, non autem amica Soada: atque hanc ad locum, valde remotum, quem difficulter ipse assequeretur, perfide secessisse doluerat, immo nullam sibi spem de recuperanda ejus gratia relictam esse, vs. 12. declaraverat. Neque igitur in amicæ, sed in matris domo fatalem nuntium accepit vs. 34.

Jam, ut ad nostrum Poëtam revertamur, hic longe seriore vi-
vens aevo, quod a prisca naturae simplicitate ulterius deflexerat,
multo etiam plura artificia sibi, encomiasticum diversae indolis
carmen composituro, adhibenda esse, non existimare non poterat.
Cum ergo aliquid edere cuperet, quod singularis esse praestantiae
videretur, quodque cultis sui aevi hominibus admodum placeret
et excellentissimi Poëtae dignitati, quam dudum meruisse, om-
nino responderet: in suum Poëma e divite penu ingentem mul-
tarum rerum varietatem conferre diutissime introductam legem
ita sequi, ut simul novam quasi viam sibi erueret, aliisque suo
exemplo commendaret, ac perenne et vastae eruditio[n]is sua[re], et
incomparabilis, qua linguam Arabicam complecteretur, peritiae,
et magnae diurnaeque experientiae, et summi, quo erga patrium
solum suosque populares ducebatur, amoris monumentum condere
volebat. Atque hoc adeo carmen, quo rerum esset plenius, dic-
tione splendidius exquisitusque, metri ac rhythmi ratione univer-
soque demum artificio mirabilius, variisque descriptionibus magis
luxurians, eo majorem inde honorem in ipsos a se laudandos prin-
cipes exspectabat proventurum. In tanta tamen rerum varietate
partiumque diversitate, non utique incerta via vagatus fuisse cen-
sendus est, nec sua[re] phantasiae, velut feroci et indomito equo,
frena laxasse: immo vero, si nos, quoad ejus fieri possit, in ip-
sius Poëtae locum totos quasi transferimus, omnia in ejus carmine
apte cohaerere videbimus, ut, in ipsa sua profusa luxurie et qua-
dam specie confusionis, certum quemdam ordinem, ab initio ad
finem usque, haud utique infeliciter secutus esse videatur.

Poëta igitur munificentissimos erga se, e solo natali jamdudum
absentem, principes laudaturus, hoc sibi proposuit universe, ut

ex-

exsulem se describeret, benevole ab his principibus tractatum. Hoc generale argumentum ita persecutus est, multisque excursibus ac figmentis ita variavit, ut ejus et ingenium, et ubertatem, et doctrinam, et raram artem si prorsus exponere oculisque subjicere vellemus, totius deberemus carminis versionem exhibere, eamque haud paucis observationibus illustrare: quod vero cum hujus commentationis rationi minus consentaneum sit, satis erit modum, quo suum propositum exsecutus est Poëta, ipso Carminis ordine servato, et praecipuis ejus paribus eo, quem inter se habeant, nexus indicatis, proposuisse. Tentemus adeo universi Poëmatis formam, etsi tenui penicillo, adumbrare.

Apte incipit Poëta a senectutis suae descriptione, et suos capillos monstrat magis magisque albescentes. Pristinum suum ardorem juvenilem dicit consedisse, non per incommodae senectutis vim, sed per adversae fortunae iniquitatem. Haec enim effecerat, ut ejus conditio, olim amoeno beneque rigato horto simillima, jam referat locum aridum torridumque. Abest nimirum a popularibus, et in longinquio suo exsilio quasi ignem sentit, quo intus consumatur. Insomnia perpetuam in ejus oculis occupat sedem: et quae umquam antea patiebatur, lenia sunt, si cum iis, quae nunc patitur, comparantur. Haec tam sunt gravia, ut, si vel cor haberet saxo durius, illud diffrigerent, ut moerore praefocatum ei sit guttus, ut ad lacrymas quantumvis se indignas cogatur, ut, si ista vel somnianti obversata essent, uno ictu exitiali ipsum consecissent, ut in eo statu, qualem, quisquis res ex vero judicare sciat, maxime detestabilem arbitretur, sua spe eludatur perpetuo, immo in loco quasi pestifero versetur, qui praestantissimum vitae succum poene exhauriat, dum

fa-

fame ac siti magis magisque conficitur in dies. Talia mala quan-
doquidem numquam expectare potuit, cum ipsa Fortuna de in-
juria sibi facta conqueritur, petitque ab ea, ut, si se in gratiam
penitus recipere nolit, lenius tamen tractet. — Postquam vero
libere querelis indulxit, suae ipsum poenitet humilitatis, qua For-
tunae imploravit clementiam. Itaque declarat Fortunae, se ab ea
calamitatem deprecari nolle, virum enim ab ea impugnari, qui,
etiam si orbes coelestes e summo aethere super se videat ruentes,
non tamen queratur, sive quem, ut ipsis illud Horatii verbis no-
tissimis quasi interpreter, *si fractus illabatur orbis, impavidum*
feriant ruinae. Scilicet istas querelas incogitanti ac nolenti
extorserat fere naturalis ac grayissimus aerumnarum sensus.
Quocirca acquiescit potius in violentia, qua saevit For-
tuna, sed coactus acquiescit, fatorum indignatus vicissitudi-
nem, quae vel fortunatissimum hominem attingat. Quod si
ergo ad mortem usque in isto malorum barathro permanen-
dum sit misero exsuli, patientiam ostendet omnibus malis su-
periorem. Sic plures alii fuere viri praeclari, qui sortis crudelitatem
paterentur: quorum igitur nonnullos nominatim commemorat. Sin
autem divina decreta concesserint, ut ex afflictissima exsilii sui
conditione penitus emergat, nihil intentatum relinquet, quo mi-
nus sua damna resarciat. Sic et alii viri res maxime arduas fe-
liciter tentarunt, audacibus factis incliti, dignique adeo, quorum
et nomina et ipsa facta referat. Atque horum vero virorum sua-
vis recordatio efficit continuo, ut poëta Spem sibi comitem su-
mire velit perpetuam, quae Desperationem, sibi semper inhian-
tem, pellat tandem in perpetuum. Animos itaque sumens, per
quaclibet sanctissima jurat, se audacter omnia pro se tentaturum
esse.

CLASS. TERT. VOL. II.

P

esse. Jurat hoc per camelos, non vulgares quidem, sed eos, quibus sacri peregrinatores vehantur: unde occasionem arripit et hos camelos et ipsam peregrinationem accurate describendi. Jurat hoc per velocissimos equos, quibus non vulgares, sed strenuissimi viri vehantur: atque ipsam horum strenuitatem vividis coloribus pingit. Jurat hoc praesertim per eos principes, quibus nihil excelsius, nihil ad generosum mentis impetum excitandum, ad nobilissimos animi sensus movendos alendosque, et ad semet ipsum eo, quod cuperet, impellendum, aperte convenientiusque proferatur ex antiquissima Arabum historia; et quorum sola adeo memoratio maximam injiciat venerationem: per principes, e Jarebo, qui ipsius Joctanis, primi gentis Arabicae conditoris, filius esset, progenitos. Hoc vero ut praestet, quod se facturum juravit, duo tantum socios cupit, qui sibi prorsus sufficient, gladium nempe acutissimum, et equum fatigari nescium cursuque celerrimum: quem adeo utrumque, sed hunc praesertim, magna cum cura atque diligentia describit⁽¹⁾. Jam ergo hoc equo vectus, illoque armatus gladio, et a nemine comitatus, in media pericula sibi videtur ruere praeceps, omniumque ore suas res gestas celebratum iri, auguratur.

Atque hanc ipsam parandae sibi suis armis gloriae cupiditatem cum dare velit Poëta sui e patria discessus caussam, mox affirmat, se non odio popularium, aut prava quacumque animi affectione motum ex Iraca Arabica discessisse. Enimvero testatur, se, postquam

(1) Peritissima et artis plenissima est haec equi descriptio. Ibn Doreidus nimirum duo de equis edidit libros, ab Ibn Chalikano peculiari ter memoratos.

quam suos populares reliquisset, nullos umquam reperisse homines, iis quodammodo comparabiles, cum illi ceteris hominibus ita praestent, ut excelsi montes obscuris cavernis et horrendis barathris, ut mare generose tumidum tenuibus aquis stagnantibus. Illis adeo si in suo exilio similes cederit homines, optat, ut acerbissima quaque mala sibi eveniant. At exceptis tamen cupit duo principes, viros scilicet natione Arabes et ex eadem, quia ipse, urbe prognatos, quos in Persiam comitatus erat. Horum peropportune decolorit benevolentiam insignam. Hi ipsum amplissima sua et gratissima beneficiorum umbra obtexerant. Hi Spem, propemodum a Desperatione pulsam, ad ipsum revocaverant stabilemque esse jusserant. Hi largam donorum copiam in ipsum effuderant, ejusque res, a Fortunae vicissitudine turbidas redditas, purarum et dulcium aquarum instar esse voluerant. Hi depresso et abjectum fere hominem laete et honorifice erexerant. His ergo gratum animum numquam satis testificari poterat: ac ne tunc quidem se hoc posse dicit, si omnes omnino homines uno ore ipsiusque nomine gratias iis agerent. Quapropter ad mortem pro iisdem subeundam paratum se declarat: at, cum sua ipsius vita sibi nimis exigui pretii videatur, quam ut sola illud rependat, quod beneficentissimis debeat principibus, optat, ut alii quam plurimi, immo quotquot vivant in terris, se ipsi jungant mortemque pro eis oppetant; dumque adeo proprios suos animi sensus aliis quibuscumque adscribit hominibus, hos sensus tam fore ait durabiles, ut, quamdiu vivat, eos omnino palam demonstratus sit.

Ab hoc excursu, qui casu fere extiterit, sed cuius tamen caussa totum carmen compositum erat, in viam quasi redux

P 2

Poëta

Poëta interruptam rationum, quibus motus e patria discesserat, expositionem resumit. Eas igitur rationes minime in ullo, quo animatus fuerit, odio positas fuisse, denuo affirmat, sed ad descendendum se compulsum fuisse ait per gloriae, expeditionibus periculi plenis quaerendae ardorem, quo fortuna frueretur ampliore et praesertim juvenilis amoris voluptate potiretur. Itaque puellam describit, qualem sibi tunc cupiebat omnibus animi votis (1), quaeque tam pulchra esset, tamque amabilis, ut non modo ferum hominem permoveret, sed virum etiam religioni in solitudine totum deditum facile ad se alliceret. — Tales ergo ob caussas cum e patrio solo discessisset Poëta, hoc ipsi semper manebat carissimum, ideoque optima adjicit vota pro ejus salute: et felicitatem, quam illud propter liberalitatem mereatur incolarum, precatum.

(1) Vs. 108 et seq. non describit Poëta puellam, qualem sibi nunc cupiat, quippe qui deinceps dicat, sibi seni puellam minus convenire, sed qualem adeo sibi quondam cupiebat. Minus recte Scheidius in sua versione illud expressit, cum hoc omnino praeferendum videatur. — Itaque vs. 107 — 109. ita convertendos arbitror.

Sed vero *discessi* propter firmum, quod mihi erat, propositum, qualisi vellem per negotium difficultissimum penetrare, felicissimo successu illud perrumperem:

Ac propter juvenilem etiam amorem, qui pro meo lubitu suavissimus mihi comes adhaereret, in grato voluptatis atque opulentiae usu;

Propter puellam adeo teneram ac molliculam, quae tecum collauderet, quaeque, dum morbo excruciat, suo simul osculo morbi ipsius afferret remedium.

cur optatissimam, e copiosae pluviae beneficio exspectandam; cuius pluviae diversos effectus perquam ornate describit.

Piis istis votis pleno de pectore a Poëta patriae amantissimo pronuntiatis, ad semet ipse revertitur, utque ostendat, quo animo, quibus moribus sit, dum per principum benevolentiam sublevatus est in suo exsilio, suam commemorat animi fortitudinem, liberalitatem, pietatem, easque virtutes, quibus ille cernitur, qui hominum naturam probe exploraverit: qua opportunitate magnam copiam *injicit variarum observationum, ad vitae prudentiam rerumque humanarum vicissitudines pertinentium.* Deinde pingit frequentia itinera, in suo exsilio suscepta, suum in eis demonstratum animi robur, suamque vivendi rationem in horridis desertis, ubi ignem non alio modo sibi compararet, nisi cum ex duobus lignis ad semet invicem attritis eliciendo; quod ipsum aenigmatice ita descriptsit, ut Arabibus reconditam suam artem et ferax suum ingenium probaret: in his vero itineribus non omittit praestitam a se hospitalitatem, Orientalibus maxime adaptam, commemorare. Dum autem in his ipsis itineribus, per vastissima deserta factis, enarrandis occupatur, subito ejus menti se offert suavissima, quae noctu saepe obversabatur, imago amicorum, quos in Iraca Arabica habebat, quique praesentissimos jam se sistere coram ejus oculis videbantur, per media deserata ad ipsum delati. Miratur hunc inexpectatum adventum. Exclamat. Rogat, quam ob caussam tam procul advenerint viri amicissimi. Hi ipsum interpellant, rogantque, quare e patria discessisset, ubi bene ipsi erat. (1). Respondet, ita tulisse.

de-

(1) Hoc loco, vs. 212., ad alia transire vulgo existimatur Poëta,

decretum divinum, quo omnes res humanae regantur, ita fuisse in fato, quo omnes trahantur homines, aliisque felix, aliis infelix evadat. At in hac amicorum turba, per phantasma oblata, cum videre sibi videatur amicas quasdam mulieres, quae, ut redditum persuadeant, puellam ipsi, quando in patriam reversus fuerit, quaerere velint, qualem saepe ^{antea} quae-
siissent, istiusmodi oblectamenta, sibi admodum seni nequa-
quam convenientia, respuit. Verum optat, ut potius ad se ad-
ducatur virgo octoginta annorum, hoc est, vinum ^{vetus ac non-}
dum delibatum, de quo per multas noctes continuas cum strenuo
sodali medios inter jocos decertet. Sed, postquam ita suae ad
larga optimi vini pocula propensioni parumper indulxit, eam,
quae seni decora esset, gravitatem resumens, amicis, etiam nunc
praesentissimis visis, declarat, sibi varia et bona et mala obti-
gisse, velle autem se aequo pati animo, quaecumque sive pros-
pera, sive adversa deinceps eveniant, et sibi, sive brevi mo-
riatur, seu vivat diutius, virtutis placere studium, cuius opti-
ma laus sola post hominem remaneat ⁽¹⁾. — Qua ipsa declaratione
toti carmini finis imponitur.

ideoque ^{وَسَابِلٌ} سايل accipitur pro وَرْبٌ، *Saepe est qui interroget.*
At multo est simplicius ut illud in Genitivo positum esse censeatur,
quia vs. 208. ^{أَيْضًا}; in Genitivo ponitur, atque adeo utrumque pendeat a
^{طَبِيفٌ} خيال, sive oblato amicorum visitantium phantasmate. Haud plane dis-
simili ratione junguntur vs. 44 et 69., item vs. 115, 119, 125. Ita-
que uno tenore ad finem usque Carminis decurrere imaginem arbitror.

(1) Quae absolute dicitur vs. 227. optima laus, ea est quae ex bene
factis post mortem existat, coll. vs. 171.

De 6201

D

ULB Halle
001 085 433

3/1



40

Nur für den Lesesaal

